



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Coronationes.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

301 ANNO CHRISTI Regum Francor. KAROLI CALVI 302
869.

KAROLI CALVI
ET
LVDOVICI EIVS FILII
REGVM FRANCORVM
CONSECRATIO SEV CORONATIO.
ITEM REGINARVM
IVDITH FILIAE
ET
HERMINTRVDIS CONIVGIS
KAROLI EIVSDEM.

TITVLVS PRIMVS.

Karoli Calvi, quando in regno Lotharij
coronatus est.

ORDO QVALITER KAROLVS REX FVIT
coronatus in Mettis civitate anno DCCCLXIX. in mense Septembr. v. Idus
Septembr. que evenit die Veneris, cum ipsis Episcopis, videlicet Hincmaro Ar-
chepiscopo, Adventio, Hattone, Arnulfo, Francone, Hincmaro, & Odono,
quando quondam Rex Hlotharius, filius Hlotharij Imperatoris, fuit mortuus
in Placentia, civitate.

Adnuntiatio Adventij Episcopi ante initium
Missa, in Ecclesia S. Stephani, coram Re-
ge & Episcopis & aliis quamplurimis.

Vos scitis, & multis in plurimis regnis
est cognitum quantos & quales
eventus tempore senioris nostri, quem ha-
bitenus habuimus &c. usque devota mente
fuscipere. ut supra pag. 215.

RESPONSI O

KAROLI AD POPVLVM

Quia, sicut isti venerabiles Episcopi
uniuersi ex ipsis voce dixerunt, & certis in-
diciis ex vestra unanimitate monstrave-
runt &c. usque antecelloribus exhibue-
runt pag. 218.

AD NVNTIATI O

HINCMARI ARCHIEPISCOPI.

Ne alicui fortè videatur incongruè ac
præsumptio[n]e me ac provinciæ nostræ ve-
nerabiles coëpiscopos facere quoniam &c.
usque Te Deum laudamus pag. 217.

*Benedictiones super Regem Karolum ante
Missam & altare sancti Stephani.*

ADVENTIVS

EPISCOPVS METENSIS.

Deus qui populis tuis indulgentia con-
fulus & amore dominaris, da huic famulo
tuo spiritum sapientiæ, cui dedisti regi-
men disciplinæ; ut tibi toto corde devo-
tus, & in regni regimine maneat semper
idoneus, & in bonis operibus perseverans,
ad æternum regnum te duce valeat perse-
nire. Per Dominum &c.

HATTO VIRGVNENSIS.

Gratia tua quæsumus, Domine, huic
famulo tuo tribue largitatem; ut mandata
tua te operante se[ct]ando, consolacionem
præsentis vite percipiat & futuræ. Per
Dominum &c.

ARNVLFVS TULLENSIS.

Nostris, quæsumus, Domine, in regi-
mine istius famuli tui propitiare temporibus;
ut tuo munere dirigatur & nostra se-
curitas & devotione Chiristiana. Per Domi-
num.

FRANCO TVNGRENSIS.

Da, quæsumus, Domine, huic famulo
tuo salutem mentis & corporis; ut bo-
nis operibus inhærendo, tua semper me-
reatur virtute defendi. Per Dominum.

HINCMARVS LAVDVNENSIS.

Benedictionem tuam, Domine, hic
famulus tuus accipiat: qua corpore salva-
tus & mente, & gratiam tibi semper exhibe-
at servitatem, & propitiationis tuae be-
neficia semper inveniat. Per Dominum.

ODO BELLOVACENSIS.

Conserua quæsumus, Domine, hunc
famulum tuum, & benedictionum tuarum
propitiis ubertate purifica, ut eruditio[n]i-
bus tuis semper multiplicetur & donis.
Per Dominum.

BENEDICTIO

HINCMARI ARCHIEPISCOPI.

Extendat omnipotens Dominus dexte-
ram suæ benedictionis, & effundat super
te donum suæ propitiationis, & circumdet
te felici muro custodiae sua protectionis,
sanctæ Marie & omnium sanctorum inter-
cedentibus meritis. Amen.

Indulgeat tibi mala omnia quæ gessisti,
& tribuat tibi gratiam & misericordiam
quam humiliter ab eo depositis; liberet
que te ab adversitatibus cunctis & ab om-
nibus visibilium & invisibilium inimico-
rum insidiis. Amen.

Angelos tuos bonos semper & ubique,
qui te præcedant, comitentur, & subse-
quuntur, ad custodiæ tui ponat; & à
peccato, seu gladio, & ab omnium pericu-
lorum discrimine te sua potentia liberet.
Amen.

Inimicos tuos ad pacis caritatique be-
nignitatem convertat, & apud odientes
te gratiosum & amabilem faciat. Pertina-
ces quoque in tui inseclatione & odio con-
fusione salutari induat. Super te autem
sanctificatio sempiterna effloreat. Amen.

*Ad ipsa verba, Coronet te Dominus,
manxit eum Hincmarus Archiepiscopus
de chrismate ad dextram auriculam, &
in fronte usque ad sinistram auriculam,
& in capite.*

Coronet te Dominus corona gloriæ in
misericordia & miserationibus suis, & un-
gat te in regni regimine oleo gratiæ Spiriti-
tus sancti sui, unde unxit Sacerdotes, Re-
ges, Prophetas, & martyres, qui per fidem
vicerunt regna, & operati sunt justi-
tiam, atque adepti sunt promissiones, ei-
demque promissionibus gratia Dei dignus
efficiaris, quatenus eorum confortio in
celesti regno perfui merearis. Amen.

Viatoris te atque triumphatorem
de visibilibus atque invisibilibus hostibus
semper efficiat, & sancti nominis sui timo-
rem pariter & amorem continuè cordi tuo
infundat; & in fide recta ac bonis operi-
bus perseverabilem reddat, & pace in die-
bus tuis concessa, cum palma victoria te
ad perpetuum regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum
confituisse Regem, & in præsenti seculo
felicem & æternæ felicitatis tribuat esse
confortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluit
opitulatione tuae subdere ditioni, sua dis-
pensatione

pensatione & tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare; quod divinis monitis parentes, adversitatis omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fidei amores obsequentes, & in praesenti seculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum aeternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse praeferre dignetur.

Ad ipsa verba. Coronet te Dominus, misericordia illi Episcopi coronam in capite.

Coronet te Dominus corona gloriae aeternae justitiae; ut cum fide recta & multiplici honorum operum fructu ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cuius est regnum & imperium in secula seculorum.

Ad ipsa verba. Det tibi Dominus velle, dederunt illi palmarum & sceptrum.

Det tibi Dominus velle & posse quae precipit, ut in regni regimine secundum voluntatem suam proficiens, cum palma perseverantis victoriae ad palmarum perpetuas glorias semperne. Gratia Domini nostri Iesu Christi, qui vivit.

ORATIONES IN MISSA.

Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Gorgonij martyris tui veneranda solemnis-

tas & devotionem nobis augeat & salutem. Per Dominum.

Quæsumus, omnipotens, ut famulus tuus, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, a te virtutum etiam percipiatur incrementa: quibus decenter ornatus, & vitiorum monstra vitare, & ad te, qui via, veritas, & vita es, gratiosus valeat pervenire. Qui vivis & regnas cum Deo.

SUPER OBLATA.

Respice, Domine, munera populi tui sacerdotum festinare votiva, & tua reficiatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Munera, quæsumus, Domine, oblata sanctifica; ut & nobis unigeniti tui corpus & sanguinifiant, & Karolo Regi nostro ad obtinendam animæ corporisque salutem, te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem.

POST COMMUNIONEM.

Sacramentorum tuorum, Domine, communio sumpta nos salver, & in tua veritatis luce confirmet. Per Dominum.

Hec, Domine, communio salutaris famulum tuum ab omnibus tueatur adversis: quatenus & ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem, & post illius temporis decursum ad aeternam perveniat hereditatem. Per Dominum.

TITVLVS II.

Ludovici II. quando Rex Francorum consecratus est.

ORDO QVALITER HLVOVVICVS REX
anno incarnationis dominicae DCCCLXXVII. VI. Idus Decembris ab
Hincmaro Archiepiscopo fuit coronatus in Compendio palatio; quando & haec,
qua sequuntur, ab Episcopis petita sunt apud Regem, & ab eo promissa
Episcopis.

PETITIO EPISCOPORVM.
AVobis perdonari nobis petimus ut
unicuique de nobis & Ecclesiis no-
bis commissis secundum primum capitul-
lum &c. usque exhibere debet, ut supra
pag. 271.

PROMISSIO REGIS.
Promitto vobis & perdono quia unicui-
Tom. II.

que de vobis & Ecclesiis vobis commissis
secundum primum capitulum &c. usque
exhibere debet, pag. 271.

Benedictiones super Hludovicum Regem
factæ.

Deus, qui populis tuis virtute consulis,
& amore dominaris, da huic famulo tuo

877.

spiritum sapientiae cum regimine disciplinae; ut tibi toto corde devotus, in regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere ipsius temporibus securitas Ecclesie dirigatur, & in tranquillitate devotionis Christiana permaneat. Per Dominum.

SACRI OLEI INFUSIO.

Omnipotens sempiterne Deus creator & gubernator cœli & terra, conditor & dispositor angelorum & hominum, qui Abraham famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi & Iosue populo tuo prælati multiplicem victoriam tribuisti, humilem quoque David puerum tuum regni fastigio sublimasti, eumque de ore leonis & de manu bestie atque Golie, sed & de gladio maligno Saul & omnium inimicorum ejus liberasti, & Salomonem sapientiae pacisque ineffabili munere dñasti, respice quæsumus ad preces humilitatis nostræ, & hunc famulum tuum virtutibus, quibus præfatos fideles tuos decorasti, multiplici honoris benedictione condecora, & in regni regimine sublimiter colloca, & oleo gratia Spiritus sancti tui perunge, unde unxit Sacerdotes, Reges, Prophetas, & martyres, qui per fidem vicerunt regna, & operati sunt iustitiam, atque adepti sunt promissiones. Cujus fraternalissima unicæ super caput ejus defluat, atque ad interiora ejus descendat, & cordis illius intima penetret, & promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi Reges, gratia tua dignus efficiatur; quatenus & in praefenti sæculo feliciter regnet, & ad eorum consortium in cœlesti regno perveniat. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui undatus est oleo lætitiae præ confortibus suis, & virtute crucis potestates aërias debellavit, tartara destruxit, regnumque diaboli superavit, & ad celos viator ascendit. In cuius manu Victoria omnis, gloria, & potestas confidunt, & tecum vivit & regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

IMPOSITIO CORONÆ.

Coronet te Dominus corona gloria atque iustitia honore & opere fortitudinis, ut per officium nostræ benedictionis, cum fide recta & multiplici bonorum operum fructu, ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente cuius regnum & imperium permanet in secula seculorum. Amen.

SCEPTRI TRADITIO.

Accipe sceptrum, regiæ potestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis: qua te ipsum bene regas, sanctam Ecclesiam, populum videlicet Christianum tibi à Deo commissum, regia virtute ab improbis defendas, pravos corregas, rectos ut viam rectam tenere possint tuo juvamine dirigas: quatenus de temporali regno ad æternum regnum pervenias, ipso adjuvantè cujus regnum & imperium sine fine permanet in secula seculorum. Amen.

BENEDICTIONES.

Dominus Deus omnipotens, qui dixit ^{Num. 6.} ad Moysèm servum suum, Loquere ad Aaron fratrem tuum, & ad filios ejus dicens, Sic benedic et populo meo, & ego benedicam ei, benedicat tibi, & custodiat te. Amen.

Illuminet faciem suam super te, & misereatur tui. Amen.

Converat vultum suum ad te, & donet tibi pacem. Amen.

Extendat dexteram sua benedictionis, & effundat super te donum sua propitiationis, & circumdet te felici muro custodie sua protectionis, sanctæ Marie & omnium sanctorum intercedentibus meritis. Amen.

Indulgeat tibi mala omnia quæ gessisti, & tribuat tibi gratiam & misericordiam quam humiliter ab eo deposcisti, liberetque te ab adversitatibus cunctis & omnibus visibilium & invisibilium inimicorum insidiis. Amen.

Multiplicet in te copiam sua benedictionis, & confirmet in spe regni cœlestis. Amen.

Actus tuos corrigat, vitam emender, mores componat, & te ad cœlestis paradisi hereditatem perducat. Amen.

Talique intentione repleri valeas quæ ei in perpetuum placeat. Amen.

Angelos suos bonos semper & ubique, qui te præcedant, comitentur, & subsequantur, ad custodiari tui ponat; & à peccato, seu gladio, & ab omnium periculorum discriminé te suæ potentia liberet. Amen.

Inimicos tuos ad pacis caritatisque benignitatem convertat, & odientibus te gratiosum & amabilem faciat. Pertinaces quoque in tui infestatione & odio confusione salutari induat. Super te autem sanctificatio sempiterna effloreat. Amen.

Victoriosum te atque triumphatorem

de visibilibus atque invisibilibus hostibus Dominus semper efficiat, & sancti nominis sui timorem pariter & amorem continuè cordi tuo infundat, & in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat, & pace in diebus tuis concessa, cum corona victoriae ad perpetuum te regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere Regem, & in praesenti seculo felicem & eternae felicitatis tribuat esse confortem. Amen.

Clerum ac populum, quem sua voluntate opitulatione tua subdere ditioni, sua dispensatione & tua administratione per diuturna tempora te faciat feliciter gubernare: quod divinis monitis parentes, adversitatibus cunctis carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio fideli amore obsequentes, & in praesenti seculo pacis tranquillitate fruuntur, & tecum aeternorum civium confortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

TITVLVS III.

Iudith Karoli Calvi filiae, cum Regi Anglorum
desponsata est anno DCCCLVI. apud
Vermeriam palatum.

Anno DCCCLVI. Edelvlf Rex occidentalium Anglorum Roma rediens, Judith filiam Karoli Regis, menie Iulio desponsatam, Kalendis Octobribus in Vermeria palatio in matrimonium accipit, & eam Hincmaro Durocoorti Remorum Episcopo benedicente, imposito capiti ejus diademate, Regina nomine insignit, quod sibi siveque genti eatenus fuerat insuetum. Patratorque regius apparatus utrinque atque muneribus matrimonio, cum ea Britanniam regni sui ditionem navigio repetit. Ex annalibus Berinianis.

BENEDICTIO SVPER REGINAM
quam Edelulfus Rex accepit in uxorem.

NVbas in Christo obnupta nube cœlesti, & refrigerata gratia spiritali, ac protecta ab omni inlicita concupiscentia, pangas fœdus cum oculis tuis, ut non video alienum virum ad concupiscentium eum, & non mœcheris in corpore vel corde tuo, & avertas oculos tuos, ne videant vanitatem: quatenus in via Domini vivificeris, ut possis dicere cum propheta: *Ad te levavi oculos meos qui habitat in celis.* &:

Psl. 122.
& 110.
Levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi. Per conditorem & redemptorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum.

Benedic, Domine, has dotes, & accipientes tua benedictione dotare digneris: ut conjugij fidem & thronum immaculatum ferventes, sanctorum Patriarcharum adscisci mereantur confortio. Per Dominum.

Accipe anulum, fidei & dilectionis signum, atque conjugalis conjunctionis vinculum.

culum, ut non separer homo quos conjungit Deus. Qui vivit & regnat in omnia secula seculorum.

Despondeo te uni viro virginem castam atque pudicam futuram conjugem, ut sanctæ mulieres fuere viris suis, Sarra, Rebecca, Rachel, Hester, Judith, Anna, Noëmi, favente auctore & sanctificatore nuptiarum Iesu Christo Domino nostro, qui vivit & regnat in secula seculorum.

Deus qui in mundi crescentis exordio multiplicandæ proli benedixisti, propriae supplicationibus nostris, & huic famulo tuo & huic famula tua opem tuae benedictionis infunde; ut in conjugali confortio secundum beneplacitum tuum affectu compari, mente consimili, sanctitate mutua copulentur. Dita eos fructibus sanctis & operibus benedictis. Fac illos talen fôbilem generare quæ ad tu paradisi pertineant hereditatem. Aperi, Domine, januas cœli, & visita eos in pace. Irriga terram eorum, ut germinet fructum spiritalem.

V ij

311 ANNO CHRISTI Coronationes KAROLI CALVI 312
816.

Sanctifica eos, qui datus es nobis ex virgine, & præsta eis tempora salutis, quæ ante tuum adventum prædixit sanctus Prophetæ Iohannes, ut hic fideliter credant, & beatè viventes vitam & regnum consequantur æternum, gratia tua, Christe salvator noster, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis & regnas Deus per omnia.

BENEDICTIO REGINÆ.

Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hanc famulam tuam, quam tuæ divinae dispensationis providentia in præsentem diem juvenali flore letantem crescere concessisti, tuæ pietatis dono ditatam, plenam veritatis, de die in diem coram te & hominibus ad meliora semper proficere facias; ut in regimine suo gratiæ supernæ largitatem congaudens suscipiat, & misericordiæ tuae muro adversitate undique munita, cum pace propitiationis vivere mereatur. Per Dominum.

SVR SVM CORDA.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, electorum fortitudi, & humilitati celsitudi, qui in primordio per effusionem diluvij crimina mundi purgari voluisti, & per columbam ramum olivæ portantem pacem terris redditam demonstrasti, iterum Aaron famulum tuum perunctionem olei sacerdotem unxisti, & postea per hujus unguenti infusionem ad regendum populum Ifræliticum Sacerdotes, Reges, & Prophetæ perfecisti, vultumque Ecclesiæ in oleo exhilarandum prophetica famuli tui voce David esse prædictisti, qui hoc etiam unguento famulæ tuae Judith ad liberationem servorum tuorum & confusionem inimicorum vultum exhilarasti, & ancilla tua Hester faciem hac spirituali misericordiæ tuæ unctione adeo luciflum redditisti ut efferatum cor Regis ad misericordiam & salvationem in te credentium, ipsis precibus inclinares.

Te quæsumus, omnipotens Deus, ut per hujus creaturæ pinguedinem, columbam pacem, simplicitatem, ac pudicitiam decoram efficias. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui venturus est judicare.

CORONATIO.

Gloria & honore coronet te Dominus, & ponat super caput tuum coronam de spirituali lapide pretioso; ut quicquid in fulgore auri & in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus, hoc in auctibus semper refulgeat. Quod ipse præstare dignetur cui est honor & gloria in secula seculorum.

BENEDICTIONES.

Benedic, Domine, hanc famulam tuam, qui regna Regum à seculo moderaris. Amen.

Opera manuum illius suscipe, & benedictione tua terra ejus de pomis fructuum cœli & rore atque abyssi subjacente repleatur. Amen.

De vertice antiquorum montium & collium æternorum, de frugibus terræ, & plenitudine ejus tua benedictione lætetur. Amen.

Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat super caput ejus. Da ei de rore cœli & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini; ut serviant illi ac semiini ejus populi, & in honore tuo tribus illam & semiini ejus adorent. Amen.

Reple eam benedictionibus uberum & vulvæ. Benedictiones patrum antiquorum confortant, sint super eam & super semen ejus, sicut promisiisti servo tuo Abrahæ & semiini ejus in secula. Amen.

Concede, quæsumus, omnipotens & misericors Deus, ut haec dona tua, quæ fideles tui acceperunt de manu tua, dantibus, accipientibus, & dispensantibus ad præsentis vita subsidiū, ac redemptiōnem animarum, atque ad vitam capessendam proficiant sempiternam. Per Dominum.



TITVLVS IV.

Hermintrudis Reginæ, quando sacrata est anno
DCCCLXVI. mense Augusto in synodo
Suectionensi.

*ADLOCVTIO DVORVM EPISCOPORVM IN
Ecclesia sancti Medardi quando Hermintrudis fuit consecrata in Reginam.*

Concil.
Suection.
III. tit. III. **V**olumus vos scire, fratres, quia Dominus & senior noster Karolus Rex gloriosus nostræ humilitatis petit devotio- nem ut auctoritate ministerij nobis à Deo conlati, sicut ipse in Regem est unctus & consecratus episcopali auctoritate unctio- ne sacra & benedictione, veluti in scripturis legimus Dominum præcepisse ut Reges ungerentur & sacrarentur in regiam potestatem, ita uxorem suam Dominam nostram in nomine Reginæ benedicamus, sicut & à sede apostolica & à nostris dece- sionibus antea de aliis factum comperimus. Et ut non vobis sit mirum quare hoc petat, fraternitati vestre rationem reddere maturamus. Videlicet quia, sicut multis est cognitum, Deus omnipotens sua gra- tia istud regnum in manus suorum ante- cessorum mirabiliter adunavit, quod ipsi decessores sui nobiliter gubernaverunt, & per successiones sua progenies usque ad haec tempora rexit. Et isti nostro seniori Deus filios, sicut vobis notum est, dedit: in quorum nobilitate ad sanctam Eccle- siam & regnum, quod Deus illi ad regen- dum commisit, fideles illius spem maxi- mam se habere sunt gratulati. De quibus ipse aliquos Deo obtulit, ut etiam de fructu ventris sui oblationem Deo offerret, aliquos Deus adhuc ætate immatura sua gratia de hoc seculo rapuit, ne, ut scrip- tum est, malitia mutaret corda eorum. aliquibus autem, quod vos non latet, suo judicio tamē passionem permisit incurrere sicut fideles illius agnoscuntur dolere. Propterea petit benedictionem episcopalem super uxorem suam venire; ut talem sobolem ei Dominus de illa dignetur do- nare unde sancta Ecclesia solatium, & regnum necessariam defensionem, & fideles il- lius desiderabile adjutorium, & ista Chri- stianitas optabilem tranquillitatem & le-

gem atque justitiam, cum illis quos adhuc habet, annuente & cooperante Domino possit habere. Et de hoc in sanctis scripturis habemus auctoritatem, quia sicut Dominus ad Abraham dixit, *In semine tuo be- Gen. 12.* nedicentur omnes gentes, cui jam centena- rio de nonagenaria uxore Iaac filium de- dit, ita & ipsum Iaac uxorem sterilem ac- cipere fecit, ut & in hoc, sicut in multis solet facere, misericordia sua largitatem ostenderet. Et inde dicit scriptura quia *deprecatus est Iaac Dominum pro uxore sua, Gen. 25.* eo quid est steriles, & concepit. Et non sit vobis mirum cur antea hoc non fecit, quia, sicut sacra scriptura dicit, in pri- mordio conjunctionis masculi & feminæ dixit Dominus ad Eavam: *Ad virum tuum Gen. 3.* erit conversio tua, & ipse dominabitur tui. Et cùm jam essent moribus in legitima coniunctione maturi & proœcta ætatis, Abraham & Sarra, &, ut sanctus Petrus dicit, *Sarra obediebat Abraham, dominum 1. Pet. 3.* cum vocans, dixit Dominus ad Abraham quod antea nec ipse nec alio homini legi- mus illum dixisse: *Omnia quæ dixerit tibi Gen. 11.* Sarra, audi vocem ejus. Iam enim & Abra- ham Presbyter merito vocabatur, & de- fecerant muliebria id est omnis lascivietas Sarra: & tunc acceperunt benedictionem feminis benedicti a Domino, in qua be- nedicuntur omnes gentes. Amen. His ergo fulti auctoritatibus, in dispensandis Dei donis, qui ab illo ministri ejus sumus ad hoc constituti, ut Leo dicit, non debe- Leo. 1.
epist. 91. mus esse difficiles, nec devotorum petitio- nes negligere; maximè si ipsas petitiones evidentibus indicis ex Dei viderimus inspi- ratione conceptas. Quia multiplex mi- sericordia Dei ita saluti humanae subvenire decrevit ut præcipue facerdotum supplica- tionibus ipsa salus debeat obtineri. Cui operi, ut in sacris literis legimus, ipse Sal-

V iii

Mart. 24.

vator intervenit, nec unquam ab his abeſt di-
quæ ministris suis exequenda commiſſit di-
cens: *Ecce ego vobis̄cum sum omnibus diebus.*
Et si quid per ſervitatem noſtrā bono
ordine & gratulando implemuſ affeſtu, ut
Leo dicit, non ambigamus per Spiritum
ſanctūm nobis fuiſſe donatum. Et ideo,
fratres, quoniam ita eſt, & noſtra pro vo-
bis ministratio, & veſtra erga nos conju-
ncta devotio, ut una fiat apud Domini-
num ſupplicatio, ſicut legimus quia ad hoc con-
ſtituti ſunt ſacerdotes ut priuſ pro ſuis,
deinde pro populi orent peccatis, & ora-
tio ſiebat fine intermissione ad Deum pro
Petro, id eft, pro omni Epifcoporum cho-
ro, orantibus nobis pro communī noſtrā
immo pro totius Eccleſiae ac populi neceſ-
ſitate atque ſalute, commune votum etiam
veſtra communis profequatur oratio apud
eum qui facit unanimis habitate in domo,
& vivit & regnat in ſecula ſeculorum.
Amen.

ORATIO.

Domine ſancte, Pater omnipotens, æ-
terne Deus, qui potestate virtutis tuae de
nihilo cuncta fecisti, & dispositis universi-
tatis exordiis, homini ad imaginem tuam
facto inseparabile mulieris adjutorium
condidisti, ac femineo corpori de virili
dedisti carne principium, docens quia
quod ex uno placuit tibi inſtitui, non li-
ceat ab homine separari, refice propitius
super hanc famulam tuam maritali jun-
ctam confortio, qua tua ſe expetit protec-
tionem muniri. Sit in ea jugum dilectionis
& pacis. Fidelis & caſta nubat in Christo,
imitatrixque ſanctorum permaneat femi-
narum. Sit amabilis ut Rachel viro, ſapiens
ut Rebecca, longava & fidelis ut Sarra.
Nihil in ea ex auctib⁹ ſuis auctor praे-
varicationis uifurpet. Nixa fidei mandatis
permaneat, unithoro juncta contaetus in-
licitos fugiat. Muniat infirmitatem ſuam
robore discipline. Sit verecunda gravis,
pudore venerabilis, doctrinis caeleſtibus
erudita. Sit fecunda in tibi placita ſobole,
ſit probata & innocens. Percipiat per hanc
ſacram misericordia, lætitia, & exulta-
tionis olei uncionem ſanitatem mentis, in-
columitatē corporis, tutelam ſalutis, ſe-
curitatem ſpei, corroborationem fidei,
plenitudinem caritatis. Corona eam, Do-
mine, corona iuſtitia, corona cam fru-

titibus ſanctis & operibus benedictis. Sit
meritis & nomine atque virtute Regina,
adiftens in hoc ſeculo fide recta & operi-
bus bonis, & in future honore & gloria
coronata à dextris Regis, in veſtitu ho-
norū operum, circumdata virtutum va-
rietate. Fac illam tamē ſobolem generare
qua ad paradiſi tui pertineat hereditatem.
Preſta, Domine, huic famulae tue tan-
tum caritatis affeſtu & misericordiaſtū-
dium atque religionis augmentum ut tuum
jugiter promereatur auxilium. Callidi fer-
uentis ab ea venena repelle, & lorica fidei
indutam ſcuſo ſalutis eam defende, auctus
eius corrige, vitam emenda, mores com-
pone, & eam in ſeneſtute bona ad cœleſtia
regna digneris perducere. Per eundem
Dominum noſtrum.

Cronet te Dominus gloria & honore
& ſempiterna protectione. Qui vivit &
regnat.

Deus omnipotens, qui benedixit Adam Gen. 1.
& Eam dicimus *Crefate & multiplicamini,*
& Patriarcharum benedixit conjugia, quí-
que cum Tobia miſit Raphael angelum
ſuum, cuius ministerio dæmonium effu-
gavit à Sarra uxore ipſius, benedicit te &
illam futuram uxorem tuam, ut ſecundūm
praeceptum Domini effecti duo in carne
una, quod Deus jungit, homo non ſeparer,
& de te vobis benedictionem de rōre cœli &
de pinguedine terra. Benedicimus enim
vobis in nomine Domini: qui mittat an-
gelos ſuos bonos, ut vos cuſtodiant ſem-
per, & omnem phantiam & nequitiam
atque verſutiam omnium malignorum ſpi-
rituum & hominum à vobis depellant, &
ab omni inquinamento omnis adulterij,
omnib⁹ ſque infideliſ humanis & diaboliciſ
protegent, muniant, & defendant. Gra-
tia Domini noſtri Iefu Christi, qui amo-
rem & timorem ſuum jugiter cordibus ve-
ſtris infundat; ut conſenſatis pariter in
ſeneſtute bona, & videatis filios filiorum
veſtrorum florentes in voluntate Domini,
& pax vobis cum permaneat, atque in fide
recta, ac bonis operibus, & concordia
bona, & amore coniugali ſincero, ne-
non & in confeſſione ſanctæ Trinitatis &
Eccleſiae catholicæ communione perfe-
verantes, ad vitam perveniantiā eternam.
Quod ipſe preſtare dignetur cujus reg-
num & imperium ſine fine permanet in
ſecula ſeculorum. Amen.

